



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus  
voluntate et providentia]

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. X. Præclarissimorum Ordinum Statutis, unam D. Thomæ Doctrinam  
docendam esse decernitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)



COMMENDATIO.

*vel Cathedra Moderator, vel voluntarius Professor legero, me docturum atque lecturum in Theologia Scholastica doctrinam S. Augustini, & Conclusions Divi Thomae, quas in Summa Theologica docet, ubi horum Doctorum mens aperta fuerit: ubi verò mens anceps & dubia, nihil docturum, neque lecturum, quod eorum doctrinae adversari senserim, sed quod vel juxta meum sensum, vel eorum qui Discipuli S. Augustini, & S. Thomae communiter censentur, Sanctorum Patrum doctrina magis conforme invenerim.*

Lovanienfis, & Duacensis Academia, quam ubique summâ eruditione, & præstantissimis Theologis famam obtinuerint, nemo nescit: sed eam gloriam, quam summam consecuta sunt, erga D. Thomam amore & reverentiâ cumulandam fore existimant, nullique Academiae in D. Thomam obsequiis & affectu inferiores videri voluerunt. Lovanienfis Academia ita Divum Thomam Patronam colit, ut non modò ipsius doctrinæ ac Divi Augustini tenacissima fuerit, sed & speciali statuto omnes alumnos astrinxerit, ut ad prolaturum Divi Thomae nomen, nudato pronoque capite reverentiam exhibeant: ita refert P. Joann. à s. Maria, in vita D. Thomae Gallicè scripta cap. 24. Duacensis verò academia Ecclesiam FF. Prædicatorum ad solitos conventus delegit, ac D. Thomam eleganti statuae lapideæ, ibidem à se collocatae, hæc verba subscripsit: *Sancto Thomae Aquinati, Patrono Academiae Duacensis.*

Cæteras hujus Regni academias prætereò, quæ vel suis legibus D. Thomae doctrinam defendere & propugnare jubentur; vel quæ hujus eruditionem admiratae, ut Theologorum Principem venerantur, ut tutissimum sibi Magistrum sequendum deligunt, cæterisque anteponunt, Academiae Tolosanae jussu Pontificis Urbani V. cujus supra Bullam integram retulimus, junctum est, ut D. Thomae doctrinam tanquam veridicam & Catholicam sedetur, totisque viribus promovere studeat. Nostra Burdigalensis, quæ me inter suos minimum cooptare dignata est, instar Tolosanae erecta, eisdem legibus ad D. Thomae doctrinam propugnandam tenetur: in Avenionensi verò erecta duplici Cathedra ad D. Thomae doctrinam defendendam & promovendam, verè regnare dicendus est S. Doctor. Sed inter extraneas, quarum leges nobis minus cognitæ sunt, non est prætereunda Patavina Academia; quæ D. Thomae Aquinati,

Patrono ac Doctore suo, quæ tantis parentare solet, die illi sacra, in Ecclesia FF. Prædicatorum: quò conveniunt infulati Professores omnes, Sacrisque peractis, orationi adsunt, quam ex ipsis unus habet in laudem & honorem angelici Præceptoris, academiæ Patroni.

§. IX.

*Præclarissimorum Ordinum Statutis, unam D. Thomae Doctrinam docendam esse decernitur.*

**UT** incipiamus ab antiquioribus: Celebris sanctæ Justinae, Ordinis D. Benedicti, Congregatio in Italia, quæ cum illustrissimum Montis Cassini Monasterium contineat, totius Ordinis caput & regula censenda est, illius discipulatum ambiens, cujus olim magisterium fuerat assecuta; tanto ardore a lumini sui D. Thomae doctrinam amplexa est, ut nullo profus gradu tota illa Congregatione se jungantur à Dominicanis, Benedictini Thomista. Quorum sapientiam & zelum æmulari plures ex aliis, jam passim eorum opera ac studio, etiam in cæteris Ordinis Congregationibus, Doctrina D. Thomae altas fixit radices. Et quantum specialiter attinet ad Gallicanam S. Mauri, per totum Regnum amplissimè diffusam; novimus inter cæteros R. P. D. Claudium Saleses, nunc in Monasterio S. Andreae, prope Avenionem, Priorem dignissimum, qui tum Burdigalæ, tum in aliis Monasteriis, in quibus per annos plures Theologiam docuit, tot insignes Thomistas effecit, quot Discipulos erudit.

Sacer Fratrum Prædicatorum Ordo in suis Constitutionibus dist. 1. cap. 14. textu 1. littera c. *Districte injungimus Lectoribus omnibus & sublectoribus, ut præstantissimam nostri Angelici Doctore Sancti Thomae Doctrinam, semper legant, discant, & doceant, & juxta eam omnia qualita, & disputata determinent, & definiant, suisque discipulos erudiant, & faciant ut Studentes in eam toto animi impetu diligenter incumbant. Est enim excellentissima hæc Doctrina, sana præ cæteris, culta à Doctioribus viris, Ordo nostrorum, salutaris unversæ Ecclesie, & toti terrarum Orbi admirabilis, ac demum Christi Salvatoris nostri iudicio comprobata. Lectores ergo atque Studentes, eam in lectionibus, atque disputationibus non prætermittant, sed in ea versentur, eamque explicant; ipsi denique in fine suarum disputationum, rationibus contrariis solutis & fractis, firmissimè*



DOCTRINÆ DIVI THOMÆ.

adhæreant: stricte prohibentes ne Fratres legendo, determinando, respondendo asserere audeant ex propria sententia, oppositum e us quod communi omnium iudicio creditur asseritum à Sanctissimo Præceptore.

Ex ordine Minorum sufficit nobis Seraphicus ejus Institutor Franciscus, qui uni ex suis, in certa quadam difficultate plurimum anxio, unâ cum S. Thoma, visibiliter apprensus, sic eum allocutus est: CREDE HIC [S. Doctorem indigitans] QUAM DOCTRINÆ ETUS NON DEFICIET IN ÆTERNUM. Ex quo mansit mirabiliter consolatus. Revelationem ad longum refert non ex aliquo Dominicanorum libro, in quorum nullo profus legitur, sed ex Venerabili Patre Joanne à Jesu MARIA, Carmelita excalceato, qui magna cum Sanctitatis opinione nostro sæculo obiit, R. P. Bahlius Pontius Legionensis, Augustinianus, in suo *Salmanticensi* iudicio protegenda doctrina SS. Augustini & Thomæ, ab omnibus illius Academiæ doctorebus approbato. Quam cum Lucas Vvadingus, Minorum Annalista, & quidam Frater Petrus, & Alua, ut fictitiam rejecissent (quasi incredibile omnino videretur, Cœlitum testimonio suo, Ecclesiæ Pontificum oracula consignasse, vel singularem Christi Crucifixi asseclam & discipulum, Franciscum, studium illius doctrinæ consuluisse, quam ipse Christus è cruce pendens, ore proprio comprobaret) rei veritate diligentius conquesta, inventa est expressissimè prædicta revelatio, cum nomine illius Franciscanæ, qui dicebatur Eleutherius, in primo quinq; Tomorum manuscriptorum, quos imprimendos reliquit anno 1587. quod obiit, Sanctæ memoriæ P. Joannes Glemans Canonicus Regularis, & superior in Monasterio Rubæ Vallis, prop. Bruxellam in Belgio, f. 297. cap. 86. unde ad verbum extracta est à P. Francisco Iansens Etinga præsentibus ejusdem Monasterii R. D. Agidio de Roy, ibidem Lectore, & R. D. Lanceloto de Bayne, qui subscriptione propria, testimonium perhibere veritati, ut videre est in libro præfati Patris, *De Authoritate D. Thomæ*, adversus prædictum Fratrem de Alua, Gandavi impresso, anno 1664.

Sacer Augustiniensium, seu Heremitarum sancti Augustini Ordo in suis Constitutionibus parte 5. cap. 2. de Officio & Authoritate Magistri Regentis, paginâ 275. *Vi autem uniformitas quoad alia, in Ordine nostro custodiatur: volumus ut Magistri Regentes in lectionibus, & determinationibus disputationum, in or-*

nibus sequi, & tueri debeant sanam, & Catholicam Doctrinam fundatissimè Doctoris nostri Agidij Romani: ubi verò hujus scripta non reperiuntur, ex D. Thoma doctrina suppleatur &c. Fuit autem Agidius Romanus Ordinis Sancti Augustini Generalis, & Archiepiscopus Bituricensis, ac Cardinalis, quondam Discipulus, auditor, & amanuensis Sancti Thomæ, ejusque Doctrinæ sectator, ac propugnator acerrimus, pro cuius Doctrinæ defensione librum edidit, cui titulus est, *Defensorium adversus corruptorem, seu impugnantem Doctrinam Divi Thomæ.*

Congregatio sancti Salvatoris Lateranensis Canonorum Regularium Ordinis sancti Augustini in suis Constitutionibus parte 2. cap. 11. de Litterarum studiis paginâ 158. Porro Lectores certam methodum in legendo observent. In primis in sacra Theologia, viam D. Thomæ sequendam præcipimus, quæ ceteris Scholasticorum viis, oratione doctrinæ, facilitate, integritate, & soliditate meritis præferri debet. Et ibidem paginâ 127. Si ambo Theologi ex nostris haberi non poterunt, saltem alter sit ex nostris, alter verò ex Ordine Divi Dominici, vel ex alio qui viam D. Thomæ Aquinatis sequatur, quam in nostris Scholis sequendam fore mandamus.

Gallicana Congregatio Canonorum Regularium, Ordinis sancti Augustini, in Capitulo suo Generali Parisiis in Abbatia sanctæ Genovefæ celebrato anno 1650. cujus hic est extractum authenticum, è Gallico idiomate, Latine fideliter redditum, *Capitulum Generale Canonorum Regularium S. Augustini Congregationis Gallie, congregatum in Abbatia sanctæ Genovefæ Parisius mense Septembri anni 1650. Statuit in Scholis Theologia, dictæ Congregationis, legatur S. Thomæ Doctrina pura.*

Sacer Carmelitarum Reformatorum Ordo in Constitutionibus Provinciæ Turohensis, Reformationis Gallicanæ, sub Reverendissimo P. Theodoro Stratio editis, parte 1. cap. 21. de studiis, & Studentibus §. 15. pag. 143. *Pro Theologia, quantum fieri potuerit, duo Lectores deputentur in eodem Conventu, qui ut plurimum docuerint Philosophiam: manè unus, alter à prandio legat, iuxta ordinem Definitorio præscriptum, ita ut in triennium, tota D. Thomæ Summa perlegatur, hæc serie & methodo, &c. Et infra num. 17. paginâ 144. Quod spectat ad D. Thomam, quantum in ipsis erit, illius Doctrinam amplectantur, cum interpretatione Doctorum Ordinis nostri.*

Sacra Carmelitarum Excalceatorum



Religio in suis Constitutionibus parte 2. cap. 4. num. 6. *Lectores Theologiae operam dabunt, Sacram Doctrinam à Sanctis Patribus, præcipue à D. Thoma traditam, edocere; idemque Lectores Artium observent; sin minus officio Lectorum priventur.* Item in Constitutionibus eorundem Fratrum Discalceatorum Congregationis Sancti Eliæ B. Mariae de Monte-Carmelo, vulgò Italiae dictis, quibus & utuntur Carmelitæ Discalceati in Galliis, parte 2. cap. 15. deliterarum exercitiis, *Prælectores caterique Fratres universi opinionones male fundatas, & novitatem præferentes deponant, & S. Thomae doctrinam, tam in Philosophicis, quam in Theologicis omnibus sequantur; & quæ in summa docuit, præferant iis quæ abbi tradidit.* Et ibidem num. 5. *Philosophiæ Lector, tam in Logica, quam in Physica, & Metaphysicâ, Doctrinam D. Thomae amplectatur, ut ut contra eius Doctrinam nihil affirmet; præceget Authorem Thomistam, à proposito vel Provinciali designandum.*

Sed quæd opus est hujus Religiosi Amini Ordinis, unum, aut alterum Constitutionum locum adducere, cum passim omnium manibus terantur summae sive Theologicae, sive Mysticae, quas juxta germanum D. Thomae sensum, edidit Reverendissimus Pater Philippus à Sanctissima Trinitate, nunc Congregationis Italicæ, quæ Regna omnia præter Hispanias complectitur, Generalis meritisissimus; & ex Hispana Philosophicum Complutense Collegium, & Theologicum Salmanticense, tanquam Tubæ clarissimæ, per Universum Orbem, Doctrinæ Thomisticae sonum validissimè sparserint.

Regalis etiam & Sacer Ordo B. Mariae de Mercede, Redemptionis Captivorum, in Libro lingua Hispana edito, cui titulus; *Compendio de la Regla y Constituciones de la Orden de Nuestra Señora de la Merced*, verbo *Doctrina*, Titulo sexto, hic fideliter Latine reddito. *Ad assequendos Religionis gradus legi debet Doctrina Sancti Thomae, prout explicatur à nostro Reverendo Patre Magistro Zumel.* Ita præcipitur in virtute obedientie, & statuitur à tribus continuis Generalibus Capitulis, celebratis Guadalajari Anno 1609. Murcia intermedio Capitulo, Anno 1612. & Calatayudi, Anno 1615.

Sacra Patrum Minorum, sed meritò Maximorum, Religio, in Capitulo Generali Barcinonæ Anno 1661. celebrato, sess. 15. Doctorem sibi assensu com-

muni elegerunt D. Thomam. Vnde quantumcumque ex incalcescente indices affectu erga Doctrinam Angelicam potest conjici, nequaquam in hoc agone erunt amplius Minimi, sed Novissimi primi, granumque Sinapis, cum sit *Minimum*, excreset in immensum, ita ut volucres coeli, præcella scilicet illius Ordinis ingenia, habitent & requiescant in ramis Arboris hujus.

Denique, ut alios omitteremus Ordines, etiam clarissimos, Societates, & Congregationes, quarum nobis statuta ad manus non pervenere, vel quæ nullo licet statuta adstricta, voluntario electionis iudicio, D. Thomae doctrinæ firmiter inhaerent, ut Congregatio Regularis S. Pauli Barnabitarum, Presbyterorum Oratorii, Patrum Doctrinæ Christianæ, (è quibus P. Arnoldus Milhet, in erudite cursu suo Philosophico, & P. Bafius Camblat, in suis elaboratis Institutionibus Theologicis, Angelicæ Doctrinæ gustum suavissimum exhibuere] Sacra Societatis Jesu Sodalitas, cum in suis Constitutionibus, tum in generalibus Congregationibus, Doctrinam D. Thomae à suis omnino sequendam decernit. Et quidem in Constitutionibus parte 4. cap. 14. §. 1. sic dicitur: *In Theologia legetur vetus, & novum Testamentum, & doctrina Scholastica D. Thomae.* Quæ constitutio postea multò distriktus confirmata fuit, & explicata; nam in 5. Congregatione generalican. §. sic dicitur: *Sequantur nostri Doctores in Scholastica Theologia doctrinam D. Thomae, juxta praxim in libro de ratione studiorum ponendam, & à proposito Generali explicandam; neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, nisi qui Divi Thomae doctrinæ bene affecti fuerint; ab eâ vero alieni, à docendi munere expellantur.* Et in eadem 5. Congreg. can. 41. sic habetur: *Cum deputati pro ratione studiorum recognoscenda, post accuratam discussionem, & multorum dierum collationem, sententiam ad Congregationem retulissent circa partem speculativam, & delectum opinionum, Congregatio iudicio illorum probavit; & primo loco, unanymi omnium consensu, statuit doctrinam sancti Thomae in Theologia scholastica, tanquam solidiorem, securiorem, magis approbatam & consentaneam nostris constitutionibus, sequendam. Et decreto 56. deputatorum regulæ approbantur, & subditur: *Patres deputati ex variis nationibus pro libro de ratione studiorum recognoscendo, sum de delectu opinionum, primo loco tractandum censuissent, ac tan-**



DOCTRINÆ DIVI THOMÆ.

quam fundamentum proposuissent doctrinam Societatis debere esse uniformem, securam, & solidam: post accuratam discussionem, & collationem multorum dierum; statuerunt communi consensu quæ sequuntur. Primo nostri omnino sanctum Thomam ut proprium doctorem habeant, eumque in Scholastica Theologia sequi tendantur: tum quia Constitutiones nobis eum commendant, & Summus Pontifex Clemens VIII. id secupere significavit: tum quia cum unius scriptoris doctrinam in Societate eligendam, Constitutiones moneant, nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit eâ solidior aut securior, ut non immerito sanctus Thomas, Theologorum Princeps ab omnibus habeatur, Et Regula 13. pro Theologiæ Professore. Non satis est Doctorum referre sententias, & suam reticere, sed defendat opinionem S. Thomæ, vel questionem ipsam omittat.

S. VLTIMVS.

Ex superioribus concluditur D. Thomam cæteris Theologis, qui in Scholis audiuntur, sine ullius injuria posse anteponi.

EX his quæ jam fusè satis explicuimus, aperitissimè demonstrari existimo: D. Thomam cæteris Theologis, qui suas Scholas instituerunt, multis partibus superiorem esse, & sine ullius injuria & contemptu posse anteponi. Suum quidem cæteris honorem haberi velim, præclarissimo ingenio, & pari acumine præditis; Sed stella claritate stellam superat, nec omnes licet proceras arbores pares magnitudine natura fecit. Certè D. Thomam ita Franciscani Instituti alterum Deus nuncupavit: Theologorum Theologum, Alpha literarum omnium, veritatis unicum artificem, architectum omnium literarum, scientiarumque omnium delicias. Nec ipse ultra modestæ laudationis limites abripiat, si dixerò D. Thomam inter cæteros locum obtinere, quem tenet stellas inter Luna minores.

Enim verò (erudite Lector) quem inter cæteros, licet eximios Theologos, quos ulla unquam ætas tulit, reperies, qui scientiam, cælesti infusione, & ab Apostolis edoctus divinâ revelatione acceperit, & inconcussa tutissimaque dogmata, sine ullo prorsus errore conscripserit? Quis unquam magis pressis vestigiis Patribus adhaesit; omniumque sensum tanquam suæ in eos observantiæ præmium assecutus est? Sed cujus scripta Christi voce comprobata sunt. Quem

tanti fecere Concilia, ut ne contra dubitatam mentem quidquam statuerent, sententiam suspenderint? Quem Pontifices pluribus, aut insignioribus encomiis commendarunt? In cujus verba Academia jurarunt? Aut quem demum præclarissimæ totius orbis Familiæ unicum sibi Magistrum sequendum elegerunt? Hæc cum in alio repereris, ipse Aquinati meo primus æquabo: sed si his dotibus sanctissimus Vir omnino singularis sit, & cæteros infinitis pene intervallis superet; quid dubites cæteris D. Thomam antepone, qui parem non habet, & tantum cæteris eminet. *Virgil. quantum lenta solent inter viburnia cupressi?*

Erunt forsitan hæc ætate qui ægrè ferant hæc a me dici: qui, ut olim de his similibus Plinius dicebat, [nam nullum unquam sæculum eo vitio caruit] *Stultum sapient, statim sciunt omnia, neminem reverentur, neminem imitantur, sibi que ipsis exempla sunt: & qui malint errandi periculo libertatem redimere quidlibet ferientis, quàm alterum majorem agnoscere, & magistrum sequi.* Scio plurimos olim contra D. Thomam scripsisse ac etiam nunc aperto Marte pugnare. Et ut scias non deesse plures D. Thomæ gloriæ infensos: quod à me his diebus deprehensum est, cum hanc S. Doctoris commendationem concinnarem; paucis referam. Jacobus Granados, Societatis Theologus, in D. Thomam egregiam laudationem scripserat: Sed male aliquem habuit, virum alterius instituti commendasse D. Thomam; unde posterioribus editionibus hæc commendatio omnino resecta est: sed adeo parum cautè, aut verius adeo stupidè, ut in indice inter capitula titulos hujus etiam capituli de mirabili doctrina D. Thomæ titulus relictus sit: nam editione Mustipontana anno 1624. in Tabula seu indice primæ partis, hi tituli & capitula argumenta reperiuntur. *Cap. 1. de dignitate & excellentia Theologia. Cap. 2. de jucunditate & stylo sacra Theologia. Cap. 3. de S. Thomæ Aquinatis ingenio, atque doctrina mirabili.* Et præter invidium hoc argumentum corrupti codicis, hæc etiam tractationem citat Laurentius à Ponte, Tomo 2. in Sap. Homil. 13. Indigna plane ratio testandi intentum animum, ob concertationes privatas & Scholasticas, lacessere sanctitatem; & resectis laudibus hujus quæ æquare non possis, velle gloriam minuere. Absit ut existimem ea corruptione temeratam fidem publicam, & pene scelus admiffum